

# STUDIA PALAEOGRAPHICA.

SCRIPSIT

GUILLELMUS GEISLER.

Ne quis tanquam parva fastidiat grammatices elementa, — — —  
quia interiora velut sacri hujus adeptibus apparebit multa rerum  
subtilitas, quae non modo acueri ingenia puerilia, sed exercere al-  
tissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.

QUINTIL. Instit. Orat. I, 4.

STUDIA PALAEOGRAPHICA

SCRIPTA

GUILLELMUS GEISLER

In hoc tractatu pertractantur quaedam  
de scriptura Gothicis. —



**D**e literarum notis ex remotissima antiquitate ad nos perlatis, quae in publicis monumentis per orbem terrarum sparsis insculptae inveniuntur, magna nostris temporibus quaestio orta est. Is enim quum ubique in Europa ardor vigeat et regnet, peregrinas terras visitandi earumque et antiquitates et hodiernum statum cognoscendi, ut nihil relinquamus intactum, sed priscarum opinionum fundamentis denuo in iudicium vocatis, quid verum sit quid falsum, ad liquidum perducere studeamus: prae ceteris summo jure suo multi viri docti ad linguas veteres perscrutandas, quarum ex indole et natura populorum ingenium maxime perspicitur, omne contulerunt studium et a sono singularum vocum ad notas simul et signa, quibus soni significari solebant, recte et legenda et intelligenda sese converti passi sunt. Ac profecto hanc viam qui iniere, felicissimo studiorum successu usi, jam nunc magnam spem excitarunt, fore aliquando, ut quae inter vetustissimos populos scripta et delineata sint, nostra aetate ex oblivione qua obruta erant revocare et in historia veterum indaganda ad antiquissimos fontes redire queamus. Quo autem major est rei difficultas, eo plures ad haec studia animum advertere debebunt, quia conjunctis tantummodo viribus ad vera cognoscenda propius accedere licet. Inter quos meum ego quod nomen profiteor, audaciam excusabunt fortasse, qui quanta in rebus obscuris in lucem revocandis animi delectatio reperiatur meminerunt.

Est autem duplex imprimis virorum doctorum de origine literarum earumque fonte antiquissimo sententia. Alii enim nominibus potissimum literarum ducti ad Aegyptiorum signa hieroglyphica provocarunt singulasque notas ex his et similibus figurarum lineamentis exortas esse censuerunt; alii contra vetustissimis literarum formis et ductu collustratis et accuratissime perpensis aliunde populos istos in scribendi arte res suas non repetisse, sed suum ipsorum ingenium secutos novam per se rationem invenisse intellexerunt. Harum sententiarum altera usque ad nostram memoriam a plurimis iisque et doctissimis et ingeniosissimis viris pronunciata

summaque et doctrina et sagacitate defensa est;\*) altera vero paucos tantummodo hucusque fautores est nacta, quorum ad partes, nisi fallor, omnes postea, quicumque missis praejudicatis opinionibus ad veritatem detegendam sese accinxerint, transibunt. Ac jam prioribus temporibus viri extiterunt gravissimi, qui ingenii acumine praediti atque indole ac natura et literarum cuneatarum et Indicarum adducti verum divinarunt. Inter quos primus audiendus est Niebuhrius, vir immortalis, qui in literis anno 1788 datis, quas Joh. Müllerus in Herderi operibus (Zur Philos. u. Gesch. I, p. 107.) publici iuris fecit, haec scribit:

„Unsere Sprachkundigen haben es einmal ausgemacht, dass die aegyptischen Hieroglyphen die allerältesten Schriftzüge sind, und daraus das phöniciſche und alle andere Alphabete hergeleitet. In dieser Gegend kann das ganz richtig sein: allein können darum nicht die Perser und Indier die Schreib- und andere Künste schon lange vorher getrieben haben? Da ich in Aegypten alle mir vorgekommenen Hieroglyphen und auch in Indien verschiedene Alphabete gesammelt hatte, so sammelte ich auch gleich die in den verschiedenen Inschriften zu Persepolis befindlichen Buchstaben, und fand bald, dass das Eine Alphabet ganz simpel ist, welches ich auch mit habe stechen lassen. Bei so vieler gezeigten Sorgfalt hat noch keiner öffentlich einen Zweifel in die Richtigkeit meiner Abschriften geäußert, aber freundschaftlich hat man mir geschrieben, die keilförmigen Schriften wären entweder nur eine Phantasie des Steinhauers, oder sie wären erst nach der Zeit Alexanders eingehauen. Dass ersteres nicht sein kann, zeigt, dass in keiner der drei Arten Inschriften die Buchstaben der einen mit der andern vermischt sind; und dass sie nicht neu sind, erhellet schon aus dem Umstande, dass man an beiden Enden der Figuren an der Treppe zu der grossen Kolonnade eigene Plätze zu den Inschriften gelassen hat, wovon nur der eine beschrieben ist. Ist denn auch die Treppe neu, worauf man noch jetzt bequem zu Pferde hinaufreiten kann? die 48 bis 50 Fuss hohen Säulen? die in Felsen ausgehauenen Pagoden in Indien?“

Deinde Fr. Schlegelius (hist. liter. I, 181 seqq.), quamquam cum Zoega consentiens alphabeta et Phoenicum et reliqua Asiae occidentalis et Europae ex illo derivata omnia et in formis et in literarum appellationibus originem ac naturam hieroglyphicam aperte prae se ferre putat, tamen Indorum alphabetum (dévānāgarī) ejus indolis et naturae ratione habita ex eodem fonte fluxisse negavit nec praetermittit, nusquam adhuc in monumentis Indicis signa hieroglyphica reperta esse. Cui sententiae etiam Heerenius assentiri videtur (Handbuch der Staatengeschichte des Alterthums p. 9.).

\*) Qui intra hos sex annos rem scriptis suis tetigerunt, recensentur ab Henr. Wuttke in commentatione, quae inscribitur: „Entstehung und Beschaffenheit des phöniciſch-hebraischen Alphabetes“ in commentar. Lipss.: Zeitschrift der Deutschen morgenländischen Gesellschaft. XI. 1. p. 79. seqq. (Leipzig 1857.)

Nostra vero aetate Rawlinsonius, insignis titulorum literis cuneatis confectorum interpres, qui ipse opinionem vulgarem sequitur, qua literae omnes ex figurarum lineamentis exortae creduntur, ejusdem originis esse scripturam cuneatam non potest non infitiri, sed in re accuratius explicanda non commoratur eamque in dubio relinquit neque legem, secundum quam illae literae formatae sunt, cognovit. Verba ejus paullulum perplexa sunt haec (Journal of the Asiatic Society vol. X. 1847. p. 19.): „I shall observe, then, that a system of writing, of which the elements were the arrow-head and wedge, was a very early, if not the earliest, method employed by man for embodying language in an artificial form. In those other species of writing which, in point of antiquity, rival or surpass the Cuneiform (I allude particularly to the Egyptian and Chinese), symbolical representation was the forerunner or the substitute of a phonetic alphabet, and it has been argued even that, in the primitive type of cursive writing employed by the Syro-Arabian nations, as the names of the letters were borrowed from the most common objects in nature (for no other reason that can be assigned beyond an identity of initial articulation), so the forms of the characters may have been originally designed, by a rude representation of the object, to convey a more distinct idea of the phonetic power. It is certainly at present beyond the scope of legitimate research to inquire whether the primitive Cuneiform alphabet can be included in this curious category. That it could not have originated in pure ideography is self-evident; but whether pictorial representation, rather than an arbitrary assortment of signs, may not have led to the formation of the primitive phonetic characters, we are not likely for some time to be in a condition either to disprove or to affirm.“

Sed haec omnia quum incerta et dubia sint, recentissima aetate duo viri diserte ac distincte viam tritam relinquendam esse docuerunt, Henricus Wuttkiius et M. A. Levy in commentationibus peculiaribus,<sup>9)</sup> quorum virorum iudicium univ-erse mihi comprobandum videtur.

Nam quanto vetustiora sunt Phoenicum monumenta, tanto longius eorum literae a similitudine rerum certarum recedunt<sup>10)</sup> neque aliud quidquam repraesentant nisi lineolas rectas certo ordine inter se conjunctas vel ad se invicem vergentes, quas aptissime Graeci appellarunt *στοιχῆτα*, *ραβμάτων στοιχῆτα* h. e. paxillos, bacilla, radios, virgulas (nos: Buch staben; stabs, Ulfil.). Hanc speciem unicuique praebebunt vetustissimi quique monumentorum tituli et Persarum et Indorum et Phoenicum et Graecorum et Itolorum et Normannorum.<sup>11)</sup> Una ex his lineolis inter

<sup>9)</sup> Wuttkii comment. jam citavimus p. 3.; altera est: Phoenizische Studien. Von Dr. M. A. Levy. Fasc. I. Breslau 1856.

<sup>10)</sup> Vid. Levy l. c. p. 49.

<sup>11)</sup> Conf. inter alia titulus sarcophagi regis Sidonii commentationi Levii s. c. in tab. I. adjectus — tabulae libro Th. Mommsenii additae (Die unteritalischen Dialekte. Leipzig 1850) et

se conjunctis ductus est principalis, quasi fulcrum, cui altera sive plures sunt annexae, quae vario modo in illud vergentes peculiarem literae characterem constituent ea ratione, ut quae literae uno eodemque pronuncientur organo, etiam figuram ostendent similem, qua inter caeteras alio organo pronunciatas excellent. Ita organo cuique certum insigne convenit, quod omnes literae hoc organo pronunciatas tamquam lineamentum oris huic familiae vel genti peculiare evidentissime prae se ferunt. Ita quum in omnibus omnium fere linguarum literis aspiratis, palatinis, gutturalibus atque in *u* vocali figura anguli ( $\sphericalangle$ ) appareat, hoc signo haud dubie aspiratio omnibus hujus classis literis communis indicatur (v. tab. I.). Singulae autem unius et ejusdem organi literae de novo vel una vel pluribus lineolis diacriticis additis inter se discernuntur, ita ut hac via plana et simplici, quemadmodum in natura rerum, certa lege ac disciplina acerrime diligentissimeque servata, ex paucis et simplicibus formis principalibus, eadem ratione qua ipsi linguae soni, omnes literarum formae derivatae quasi progerminent pullulentque.

Summam igitur rationem ac constantiam in formandis sonorum signis probari longissimeque abesse omnem sive licentiam sive casum, neminem fugiet, quicumque tabulam nostram I. his plagulis adjectam accurate inspexerit.

Hanc rationem firmam stabilemque literarum formationi subesse, vera si est haec sententia, omnis ratio, quam literis nostris cum hieroglyphicis cujusvis generis intercedere dixerunt, prorsus sublata erit, lex vero plane diversa, ratio longe purior, elatior, et, ut dicam quod sentio, homine dignior ex lineolis his pusillis nobis elucet, primum vestigium ingenii humani expergiscentis et perrumpentis vi divina insita corporis vincula, materiam duram, infestam, repugnantem (*την ελην*), ut se ipsum penitus cognoscat, ut ad se ipsum, ad originem suam divinam revertatur.<sup>o</sup>)

Qui quidem egregius hominis conatus omnem temporum memoriam supergreditur et caligine ultimae antiquitatis obscuratur. Nam quae scriptores veteres de inventionione, quam dicunt, literarum nobis tradiderunt, ea omnia vaga sunt atque inter se discrepant neque ullo modo lucem nobis afferunt:<sup>oo</sup>) tanto clarius autem, diser-

Huschki libro, cui titulus est: Die Oskischen und Sabellischen Sprachdenkmäler. Elberfeld 1856 — tabulae Iguvinae et imprimis lamina aenea Olympiae effossa, quam Franzius in Elementis epigraphicis Graecae p. 64. typis describendam curavit. Quam qui inspexerit, mira ejus cum scriptura cuneata similitudine movebitur. Videatur etiam titulus runicus in tabula nostra II. et tab. I.

<sup>o</sup>) „Die Schwierigkeit, wie das Bild eines Dinges oder die Zeichen eines Begriffes in die Zeichen eines Lautes übergegangen seien, wird durch die Annahme der Entstehung der altsemitischen Lautschrift aus Bilderschrift mehr verdeckt als aufgeklärt. Die Ansicht, nach welcher es dem Nachdenken eines Einzelnen gleich gelungen sei, das Alphabet zu erfinden, d. h. die verschiedenen Laute zu individualisiren, ist viel natürlicher und fasst die grosse That des Geistes mit einem Mal zusammen, was sonst in allmäligen Uebergängen und endlich doch durch einen kühnen Sprung erreicht wird.“ W. Grimm: Ueber deutsche Runen, p. 4. sqq. Levy l. c. p. 49. Videantur etiam ea, quae Welckerus de hac re attulit in vita Zoëgae (II., p. 159. sqq.), ubi de obeliscis agit.

<sup>oo</sup>) Quae si quis inspicere velit, adeat Franzii Elemm. epigr. gr. intr. III. et Gesenii Monn. Phoenicia p. 65. sqq.

tius et dilucidius literae ipsae loquuntur. Ita hac quoque de re valet istud vaticinium, ubi homines obmutescant, lapides esse ac saxa locutura. Simul vero constare videtur ratione potissimum veterum Mesopotamiae monumentorum habita, originem literarum, quae falso Phoenicum nomen prae se ferunt, Babylone esse quaerendam, unde postea ad Phoenices et per hos in omnes fere terras humanitatis non prorsus expertes migraverint. Itaque literae haec rectius veterum Semitarum quam Phoenicum vocandae sunt.<sup>99)</sup>

Huic sententiae favet etiam eximia veterum Babyloniorum indoles, acies ingenii ab antiquissimis temporibus exulta, religio denique memoratu dignissima, quibus rebus factum est, ut et mathematicae essent maxime addicti et coeli ac siderum peritissimi et mercaturas facerent et artium et opificii et rationis disciplinaeque mechanicae admodum studiosi.<sup>100)</sup> Qui quidem ut siderum coelestium, quae numina adorabant, claritatem contemplantes metientesque eorum cursus certos et constantes et stas temporum vices ostenderunt, ita iidem admirabilem sermonis humani structuram detexerunt, singulos in unum conjunctos vocis sonos dissolverunt animadvertentque paucissima esse elementa (στοιχεῖα) usque repetita, ex quibus constet sermo humanus, eaque lineamentis et formis geometricis significarunt, lineis rectis et angulis usi, tanquam omnium alphabetorum elementis. Non mirum igitur, quod literae apud omnes populos simul numerorum sunt notae.<sup>101)</sup>

<sup>99)</sup> Conf. Levy l. c. p. 49. n. 2. et Zeitschr. d. D. M. G. IX. p. 475. n. 17. — Fr. A. Wolfius in dubio relinquit inventionem Phoenicum (Prolegg. ad Hom. p. L.): „Sed eum (populum) rem vel apud se inventam vidisse vel ita excoluisse et ad alios populos, nominatim Graecos, pertulisse, ut auctor ejus dici et haberi posset, tum admodum constans fama tum ipsa figura literarum Graecarum vincit“. — Extat insignis apud Diodorum locus (V, 74.): πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας, οὗτοι Σύροι μὲν εὗρηται τῶν γραμμάτων εἶσι, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραθεωμάσαν, οὗτοι δὲ εἶδον οὐ μὲν Κάδμου πλεῖσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην, καὶ διὰ τοῦτο τοὺς Ἕλληνας τὰ γράμματα Φοινίκια προσαγορεύειν, γασὶ τοὺς Φοίνικας οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὗρεν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μόνον καὶ τὴν γραφὴν ταύτην τοῖς πλείστοις τῶν ἀνθρώπων χρῆσασθαι καὶ διὰ τοῦτο τυχεῖν τῆς προειρημένης προσηγορίας.

<sup>100)</sup> Itaque veteres etiam Pythagoram Babyloniam profectum tradunt „ad perdiscendos siderum motus originemque mundi spectandam — summam scientiam consecutus erat“. Justin. XX, IV.

<sup>101)</sup> Etiam nostrae numerorum notae falso Arabicae dictae literae sunt initiales nominum numeralium Indorum. Omnes igitur homines etiam hodie Indicis utuntur literis. — Zero, nota gravissima, est e, litera initialis vocis çûnya, „vacuus, inanis“, proprie „turgidus“. Hanc veram notarum numeralium originem primus vidit J. Prinsep, immortalis palaeographiae Indicae auctor, eamque proposuit in commentariis Bengalibus (v. Journal of the Asiatic Society of Bengal vol. III. 1838. pl. XX.). Quae quidem numerorum significatio non est Indorum antiquissima, sed eo tempore orta, ubi jam magnus notarum numerus extabat, de quibus egregie disserit E. Thomas („Ancient Indian Numerals“) in commentar. Bengall. vol. XXIV. 1855. pag. 551 — 71. Vide „Indische Skizzen von A. Weber.“ Berol. 1857. p. 149. — Boettigerus (Archaeolog. der Malerey I, p. 7.) alphabetum „Phoenico-Assyrium“ nuncupat „die einzige Ur- und Stammschrift für unsre Weltgeschichte“ et diversorum populorum inventa his verbis enumerat: „Die Zabier schrieben und rechneten, die Fetischisten gruben und malten, alle Himmels- und Sternendiener erfanden früh schon Buchstaben und Zahlenzeichen, die persepolitische und babylonische Keilschrift; die ursprünglichen Fetischendiener aber zeichneten die Figuren ihres Cultus auf, woraus alle Hieroglyphenzeichen hervorgegangen sind.“

Ex iis, quae jam exposuimus, simul efficitur, nomina literarum, quibus viri doctissimi tantam vim tribuerint, in explicanda origine scripturae parvi esse momenti, immo nullius; posterioris enim sunt aetatis et fortuito ac temere literis indita, id quod nominibus probatur etiam runarum, quarum nonnullae pluribus appellationibus notantur.<sup>9)</sup> At runarum quidem nominum etiam alia ratio esse videtur, de quibus ut de Phoenicum et Hibernorum veterum literarum appellationibus alio tempore sententiam nostram proponemus.

## II.

Jam vero breviter exposita sententia nostra de lege, secundum quam literae omnes mere phoneticae progignuntur, quam quidem legem tabula I. huic commentationi adjecta, ut spero, dilucidissime ante oculos proponet, qualis illa sit melius ostendere non potero quam singulis exemplis propositis, quae omnem dubitationem tollere posse mihi visa sunt. Loquor autem prae ceteris de runis septentrionalibus et de scriptura cuneata Persepolitana. Quae utraque scribendi ratio ad rem nostram probandam ideo maxime idonea videtur esse, quod omnium, quas novimus, simplicissima est, excepta Hibernorum *Ogham* scriptura, cujus formas in tabula II. n. 15. proponi curavimus.<sup>10)</sup>

<sup>9)</sup> In eadem sententia sunt Henr. Wuttcius (l. c. p. 83.) et Zoega, in cujus vita a Welckero exposita (II, 169.) haec leguntur: „Zoega glaubte zwar auch, dass die ältesten Buchstabenzüge abgekürzte Bilder der Dinge, aber dass die vorhandenen schon zu sehr von der ursprünglichen Gestalt abgewichen seien, um sie zu erkennen, leitete alle diese Namen, über deren Ursprung nichts gemeldet wird, aus blossem „Schulmeisterscherz“ ab, wenn nemlich beim Unterricht einem jeden Laut, gleichsam zum Träger, ein bekanntes Wort, das damit anfieng, beigegeben wurde, ebenso wie die Nordischen Namen, die den Runen gegeben worden — er hielt sich mit Ihre überzeugt, dass die Runen aus dem Lateinischen genommen seien, im 5ten Jahrh. — So noch Eichhorn, Rühs u. a. — und glaubte, die ältesten Namen seien der blosse Ton eines jeden Buchstabens gewesen, die also die Lateiner eher von den Griechen erhalten hätten, als diese die Phönizischen Namen angenommen.“ — Klaprothium idem sensisse ex Rawlinsonii annotatione (Journ. of the As. Soc. vol. X. 1847. p. 19.) video; ipsam enim Klaprothii commentationem inspicere nobis non licuit. Verba Rawlinsonii haec sunt: „Klaproth, who had little favour for theories that did not originate with himself, rejects this idea“ — that the names of the letters were borrowed from the most common objects in nature (quae sententia Rawlinsonio probatur) — „as altogether improbable; he observes that it is impossible to trace any resemblance between the forms of the semitic letters and the shapes of the objects of which they bear the names, and he conjectures accordingly, that the nomenclature was given as a mere sort of „memoria technica.“ See Aperçu de l'Origine des diverses Écritures, p. 77.“

<sup>10)</sup> *Ogham*, auctore O'Flanagan derivatum ab *Oc* sive *Ogha* i. e. circulus, quia omnes hujus scripturae literae nascuntur ex quinque circulis sectis, quibus commune est centrum, veterum Hiberniae incolarum alphabetum erat, cujus literae sunt lineolae ab utroque latere lineae rectae, *Craobh* h. e.



Runae Normannorum simplicissima ratione ex duabus lineolis diversis formatae sunt, quarum altera sursum deorsum ducta | *staf* (Stab), baculum, virga, fulcrum appellatur, altera *kännestrek*, linea signans, diacritica, characteristica, nota literae \ / 1, quae linea diacritica ex illa linea recta modo summa modo media modo ima in diversas partes procedens, nunc longior nunc brevior, unam formam ab altera accuratissime distinguit, adeo ut permutari vel confundi nullo modo possint.

Formae enim literarum tali modo exortae putabantur, ut

ex linea recta		
et linea diacritica	/	\
posita ad lineam	formatae sint	formatae sint
summam	∠ 1 ↑ T	∩ ∟ ∟ L
mediam	∠ † † A	∩ † † N
geminata	∠ † † O	
sursum ducta	∟ ∟ ∟ K	∩ ∟ ∟ Ψ M
deorsum ducta	∠ ∠ ∠ R	∩ ∩ ∩ U, V
ad imam	∟ ∟ ∟ B	∩ ∩ ∩ Ö, R.

Ex duabus lineis diacr. \ / formata est Y postea \* H.

Ex ' posita ad summam ∟ extitit ∟ . . . . . ∟ S

ad mediam ∟ . . . . . † . . . . † Th

ad imam ∟ cujus loco extitit

ad summam geminata ∟∟ . . . . . ∟ . . . . ∟ F.

Linea diacritica primo directa, postea, ut speciosior esset forma, inflectebatur, quum ex iis erat lineis longioribus, quae medium fulcrum attingebant, ut ex R extitit d (etiam h) et postea R; educebatur etiam, nisi nascente ambiguitate, linea diacritica ex utraque fulcri parte, ut † † † \* pro † † † Y vel adiciebatur in altera fulcri parte linea priori respondens, ut ↑ Ψ h pro 1 Y h.

Quae quidem omnia ex sententia esse veterum gentium borealium quum aliis rebus probatur tum genere quodam runarum, quae dicuntur Helsingicae;

stirps dictae, quasi rami certo ordine exeuntes, quam ob rem etiam ab arboribus omnes literae appellationes traxerunt. Sedecim tantum ab initio erant literae hujus alphabeti incipientis a B L N literis et propterea Beith Luis Nuin appellati, postea autem, quum alphabetum quattuor signis simplicibus et quinque duplicibus auctum esset, ordine literarum mutato N litera quintum locum obtinuit. Refertur a quibusdam ad Druidas veterum Celtarum haec scriptura, cujus cum runis cognatio manifesta est: A et O literae utrique sunt communes. Conf. Promenade d'un Français dans l'Irlande par De la Tochnaye, ed. 2. Brunsvic. 1801. p. 41. 42. — Ferussac Bullet. Univ. Philos. Journal. Dublin 1826. — *Run-Lära* af Joh. Liljegren. Stockholm 1832. p. 38. — Plura hujus scripturae (*Ogham*) genera notantur a Ledwichio in „Antiquities of Ireland“ tab. VIII. ad p. 87. — Conferatur etiam Gislif Brynjulfi fil. Isl. *Pericul. Runologic.* (Haaniae 1823.) §. 10.

hae enim fulcro abjecto meras lineolas diacriticas repraesentant et tamen facillime dignosci possunt.<sup>o)</sup> Cf. p. 13. et vid. tab. II. n. 4. et 5.

Ipsi runarum tituli, quorum magnus extat numerus<sup>oo)</sup>, in saxa ac lapides incisi,<sup>ooo)</sup> inter duas lineas aequis intervallis inter se distantes, imprimis in vetustioribus monumentis, conspiciuntur, quae quidem lineae raro sunt rectae, sed variis modis in semet ipsas implicatae, saepius in altera parte extrema capite quodam ornatae, in altera in caudae formam desinentes vel species draconum vel alias ejusmodi formas praebent (vid. tab. II. n. 15.). Has flexiones artificiosas scriptura quum sequi deberet nunc sursum nunc deorsum se inflectens, tamen literae alia post aliam insculptae a sinistra fere ad dexteram leguntur. Sed quum ea ratione, qua lineae diacriticae in fulcrum vergunt, singulae runae accuratissime discernantur, veteres Normanni non semper efficere studebant, ut literae ipsae statum suum erectum servarent, sed eas modo in alteram partem invertebant, ita ut more Semitico legendae sint (vid. tab. II. n. 16.), modo capitibus pronas in lineam inferiorem statuebant, modo etiam inversas. Primum genus appellatur Vände-Runor (runae inversae), quae speculo redditae apparent tamquam tritae et, quum in campanis vel toreumatis occurrunt, in protypis recte erant insculptae. Ejus generis runae sunt in notissimo bracteato aureo, qui in museo Holmiensi depositus est. Runae inversae speciem praebent in tab. II. n. 10. descriptam.

Hac runarum forma in lapidibus vocabula vel sententiae, quibus vis quaedam major tribueretur, significabantur, ut nostris literis tenuioribus et paullum inclinatis, quae dicitur scriptura cursiva.

Alterum runarum genus (*Stup-Runor*) in capitibus statutarum est. vid. tab. II. n. 11.

Tertium genus est runarum et inversarum et in capitibus statutarum (*Stupade Vände-Runor*), quas tabula II. n. 12. repraesentat.

Triplex haec runarum inversio in monumentis occurrens ea de causa notatu digna est, quia haec eadem in singulis literis diversorum populorum ex alphabeto Semitarum principe exortis invenitur (cf. tab. I.), id quod jam *Prinsepius* vidit,

<sup>o)</sup> Conf. Liljegren l. c. p. 29.

<sup>oo)</sup> Liljegrenius (Run-Urkunder. Aftryck för Run-Forskingens Vänner. Stockholm 1833.) p. 307. eos efficere ait 2047, quorum multos, quum in Scandia commoraret, ipse vidi.

<sup>ooo)</sup> Proprium Normannorum vocabulum est *rista*, scindere (*ritzen*), cujus radix omnium stirpium Germanarum communis est *scribendi* notionem exprimens, ut vet. Germ. *rixan*, scindere, scribere (cf. Graffii Thes. II, p. 557. seqq.), vet. Sax. et Anglosax. *writan* scindere (Hêlj. 171, 17. Beov. 5406.), scribere, vet. Fris. *writa*, vet. septentr. *rita*, nostrum *reissen*, (*Reissbrett*), *Riss*; Gothor. *writs*, *uqaia*, vet. Germ. *rix*, vet. septentr. *rit*, scriptura, apex, iota, nota, character, sulcus; *rixa* vet. Germ. circius, *reix*, *reixa* linea, nota. Posterioribus demum temporibus et Normanni et Germani, cum calami et atramenti usum a Romanis didicissent, horum vocabulum *scribere* ab illis usu receptum est: nos *schreiben*, Sueci *skrifva*, Dani *skrive*, Batavi *schryven*; soli Britanni retinuerunt vetustum: *to write*. Etiam Indorum लिख् *likh* proprie est *radere*, *incidere*, deinde *scribere*.

qui antiquissimas Graecarum literarum formas nihil aliud esse nisi Indorum literas sursum deorsum versatas docuit.<sup>o)</sup> Divinavit igitur vir ingeniosissimus communem literarum et Graecarum et Indicarum originem neque vero invenit matrem Semiticam, cujus cum vetustissimis Indorum literis cognationem optime demonstravit A. Weberus in commentatione, quae inscribitur: Ueber den Semitischen Ursprung des Indischen Alphabets (vid. ejus „Indische Skizzen“ p. 125.).

Facile igitur est intellectu, neque inversas literarum formas neque rationem, qua versus ducti sint vel a dextra vel a sinistra incipientes, ullius esse momenti in dijudicanda scripturae alius cognatione cum alia, quum omnium fere populorum mos vetustissimus fuerit a dextera scribendi ad sinistram, ut Etruscorum, Graecorum,<sup>oo)</sup> Indorum, quorum literae postea frontem inverterunt plurimae, nonnullae tamen pertinaciores antiquum morem obtinuerunt, cujus generis Indorum Dēvanāgarī plura exempla praebet.<sup>ooo)</sup>

Denique memorandum est etiam aliud runarum genus, quod ad explicandam scripturae indolem ac rationem non parvi est momenti, runae quae dicuntur *Helsingicae* (vid. tab. II. 4. 5.). Ex iis enim, quae supra de formis runarum exposuimus, dilucide apparet, lineam illam diacriticam veteres judicasse potissimam literae partem, qua propria literae unicuique vis et character tribuatur, unde evenit, ut abjecto fulcro omnibus literis communi ipsae lineae diacriticae ad quamvis vocem recte legendam beneque intelligendam abunde sufficerent. Et vere plura inveniuntur antiquitatis monumenta has simplicissimas runarum formas repraesentantia, nec solum in Helsingia provincia, unde nomen traxerunt, sed etiam in Medelpad et in Soedermanland.<sup>oooo)</sup> Quas quidem runas singulares a viris doctis diu non intellectas antiquitatem redolere neque animi causa a quoquam inventas neque secreta esse signa praeter alias causas jam ex eo efficitur, quod *o* vocalis, quam posterioribus demum temporibus runis usitatis accessisse est manifestum, illis Helsingicis deest.

Constant igitur runae Helsingicae †) maximam partem meris lineolis diacriticis, velut exortum est

<sup>o)</sup> — — „that the oldest Greek was nothing more, than Sanscrit turned topsy turvy“, cum sibi persuadere non posset, „that so constant and so close a conformity of the alphabetical symbols of two distant nations should exist without affording demonstration of a *common origin*.“ Vid. Journal of the Asiatic Society of Bengal. VI. (1837) p. 390. seqq. tab. 24. et imprimis p. VII. (1838) tab. XIII. (XIV.), ubi sunt „*greek resemblances*.“ Conf. A. Weberi Indische Skizzen. Berl. 1857. p. 129. seqq.

<sup>oo)</sup> Conf. Franzii elemm. epigr. graec. p. 35. 39.

<sup>ooo)</sup> Conf. R. Lepsius Palaeographie als Mittel für die Sprachforschung zunächst am Sanskrit nachgewiesen. §§. 5. 32. 33. 38.

<sup>oooo)</sup> Conf. Liljegreni Run-Lära p. 37. — Celsii Run. Medelpad. — Bantil. 807. — Liljegreni Run-Urkunder p. 115—117. — Guilelm. Grimmii: Ueber deutsche Runen p. 294.

†) Vid. tab. II. 4. 5.

$\curvearrowright$  sive  $\gamma$  ex  $\Pi$ ,  $\psi$  ex  $\ast$ ,  $\prime$  ex  $\mathcal{I}$ ,  
 $\curvearrowleft$  ex  $\mathcal{A}$  h. e.  $\mathcal{A}$  pro  $\mathcal{R}$ ,  $\backslash$  ex  $\mathcal{t}$ ,  $\backslash$  ex  $\mathcal{r}$ ,  
 $\cup$  ex  $\mathcal{P}$ ,  $\prime$  ex  $\mathcal{I}$ ,  $\prime$  (pro  $\mathcal{Z}$  ex  $\mathcal{Z}$ ),

servato uno  $\mathcal{l}$ , quum linea diacritica careret.

Reliquarum autem runarum formae ex brevibus constant lineolis positis in diversis locis inter duas lineas, quibus titulos runicos includi supra diximus: est enim posita

- $\mathcal{l}$  brevis lineola juxta superiorem marginem pro  $\mathcal{V}$  ex  $\mathcal{H}$ ,
- $\mathcal{l}$  brevis lineola in medio pro  $\mathcal{D}$  sive  $\cup$  ex  $\mathcal{B}$ ,
- $\mathcal{l}$  brevis lineola juxta inferiorem marginem pro  $\mathcal{U}$  ex  $\mathcal{P}$  et  
 pro  $\mathcal{V}$  ex  $\mathcal{V}$  juxta superiorem marginem ex  $\mathcal{Y}$  pro  $\mathcal{Y}$ , contra  
 juxta inferiorem marginem respondet formae  $\mathcal{A}$ .

Jam vero, quum nonnullae harum literarum formae ea tantum ratione inter se differant, qua lineae diacriticae ad fulcrum vergant, haec ratio ut statim cognosceretur, breviores lineae praeacuebantur ad formam cuneolorum, longiores incurvabantur, velut  $\prime$  pro  $\prime$  ex  $\mathcal{I}$ , ut distingueretur ab  $\prime$  sive  $\cup$  ex  $\mathcal{P}$ ;  $\mathcal{V}$  pro  $\mathcal{V}$  ex  $\mathcal{B}$ , ut distingueretur ab  $\mathcal{V}$  sive  $\curvearrowleft$  ex  $\mathcal{A}$  cet. (vid. tab. II. 4.)<sup>9)</sup> Quas quidem lineolas omnes manifestum est particulas trium esse linearum: lineae directae, lineae ad sinistram, lineae ad dexteram vergentis, has autem singulas lineas iterum esse divisas nunc in duas nunc in tres, omnino igitur in partes quinque, quibus lineolis hac ratione exortis omnes conficiantur lineae diacriticae hoc est omnes runae, quarum numerus eadem de causa est quindecim, nam ter quina quindecim sunt.  $\mathcal{O}$  enim vocalem postea additam esse supra jam diximus (vid. tab. II. 1. 2.).

Hac igitur ratione geometrica literae omnes natae sunt.

Sed ut singulae linearum illarum trium partes (lineae diacriticae) altitudine tantummodo inter se diversae accurate distinguerentur, literarum versus duabus lineis aequis intervallis inter se distantibus includebantur, ita ut linearum diacriticarum et longitudo et altitudo certissime definiiri possent, velut lineola  $\prime$  posita  $\overline{\quad}$  bene discernitur ab  $\mathcal{V}$  posita  $\overline{\quad}$  et adjecto fulcro  $\mathcal{V}$   $\overline{\quad}$   $\mathcal{I}$  confundi non potest cum  $\mathcal{V}$   $\overline{\quad}$   $\mathcal{I}$   $\mathcal{I}$ , et  $\mathcal{V}$   $\overline{\quad}$   $\mathcal{P}$  vel  $\mathcal{V}$   $\overline{\quad}$   $\mathcal{B}$  et  $\mathcal{V}$   $\overline{\quad}$   $\mathcal{A}$  ( $\mathcal{A}$ ) cet. vid. tab. II. 2. 3.

Ceterum res est memorabilis, titulos Persepolitanos literis cuneatis confectos iisdem duabus lineis inclusos apparere omnes,<sup>10)</sup> Indorum autem Dēvanāgarī alteram lineam superiorem retinuisse. Etiam Graeci tituli nonnulli extant vetustissimi iisdem

<sup>9)</sup> Runae in tab. II. 6. redditae, quarum lineae diacriticae formas cuneatas praebent, in anulo ferreo reperiuntur affixo ad januam aedis sacrae in Helsingiae vico, cui nomen est Forsa. Titulus ipse ex versibus quibusdam rhythmicis constat.

<sup>10)</sup> Vid. Journal of the Asiatic Society vol. X, ubi reperies titulos a Rawlinsonio redditos.

duabus lineis usi<sup>9)</sup> et Hebraeorum scriptura quadrata vestigia hujus moris servasse videtur.

Tres illae lineae rectae, ex quibus runas exortas vidimus omnes, etiam causa sunt dividendi alphabeti in partes vel genera (*ätter*) vel familias literarum tris, quae divisio antiquitus usitatissima fuit. Unaquaeque harum familiarum nomen traxit a litera incipiente, quae tamquam pater vel potius mater familias (*ättruna*) putabatur, quum reliquae quattuor literae aequabili multiplicatione ex illo prognatae essent. Ex quinque autem literis familiam quamque constet necesse est, quoniam unaquaeque trium illarum linearum rectarum et in duas et in tres i. e. quinque partes divisa erat: unde numerus omnium runarum est quindecim.

Tres autem runarum familiae sunt haec:

1. *Frey* familia: F N P K R Y *futhork*

2. *Hagel* — : \* † ‡ † † *hnias*

3. *Tyr* — : † † † † † *tblmō*.

Quemadmodum autem Hibernorum literae antiquae (*Ogham*) ex quinque circulis sectis exortae putabantur<sup>99)</sup>, sic runarum tres lineae rectae, quibus formantur, earumque particulae quinque juxta positae imaginem arboris trium stirpium cum ramis vel fruticis cum caulibus repraesentant, quod runarum ἀρχέτυπον praebet tab. II. fig. 1.

Jam vero contemplantibus nobis ipsum illum vetustissimum runarum septentrionalium ordinem<sup>999)</sup> (*runraden* dictum; vid. tab. II. 8.), a ceterorum alphabetorum plane diversum, statim apparebit, inter ceteras omnes medium locum tenere simplicem lineam rectam, quae utrimque stipatoribus, ministris, satellitibus in certum ordinem circumdata tamquam rex vel potius regina triumphans non sine pompa incedere videtur nec ornamentis nec armis egens, quum simplicitate ipsa inter omnes excellat, stipatores variis virtutis lemniscis atque armis exornati fortissime ipsam defendant, ita ut nuda medio tutissima eat. Et vere fortissima est parva haec manus, quae ab exiguis profecta initiis in dies magis incrementis augescens orbem terrarum peragravit, genus humanum ad veram humanitatem informavit, artibus et literis erudit, omnium animos sibi subegit, id quod potentissimi gentium domitores non potuerunt. Hanc igitur manum victricem, quam modo crescentem modo decre-

<sup>9)</sup> Vid. Franzii Elemm. epigr. gr. pagg. 62 et 70.

<sup>99)</sup> Vid. p. 10. <sup>999)</sup>

<sup>999)</sup> Traditum nobis est hoc alphabetum in pluribus monumentis vetustis. Inveniuntur enim in Sueciae provinciis Upland, Vestmanland, Vermland, Vester göthland, Bleking lapides, quibus insculptum est nihil aliud nisi alphabetum hoc ronicum certo literarum ordine semper servato, haud dubie eo consilio, ut quemadmodum edicta publica, ab omnibus cognosceretur atque in omnium memoria haereret, praesertim cum in locis celeberrimis ut in viis publicis et in aedibus sacris ejusmodi lapides occurrant tamquam publici lapides literarii, quibus prima elementa omnibus traderentur. Cf. Liljegreni Run-Lära p. 172. et ejusdem Run-Urkunder pagg. 236 — 238.

scientem inter diversos populos videmus, in certo aetatis gradu versantem quum apud Normannos veteres deprehendamus, alienum esse non videtur diligentius exquirere, utrum certa via atque ratio literis his subsit munito quasi agmine incedentibus an fluctuent omnia nec certam legem sequantur; utrum earum et potestas et numerus et ordo cum natura et legibus linguae humanae congruat uecne. Quodsi omnia haec inter se optime congruere potuerimus probare, haec res non solum lucem afferet nonnullis artis grammaticae partibus, sed falsam simul refutabit sententiam eorum, qui alphabetum runicum ex Romanorum aliarumve gentium alphabetis temere et caeco quodam casu conflatum vel mutilatum putant.

Sed redeamus ad reginam nostram *]*, cui ut forma tenuissima ita nomen est tenuissimum, jucundissimum, dulcissimum *J*. — Quo tandem jure, quaeres, litera ista quum voce tenuissima tum vegrandi macie torrida atque arida locum obtinet tam insignem? — Hunc sonum primam vocalium, primogenitam esse scito, id quod ipsius linguae ratio atque usus nobis prodit. Quam sententiam ut argumentis idoneis confirmemus, res paullo altius repetenda est. Ac lineam quidem illam directam, qua *i* litera significatur, etiam fulcrum esse ceterarum runarum omnium vidimus, quod idem fulcrum in omnibus omnium populorum literis reperitur. Ipsae vero nostrae literae et latinae quae dicuntur et vernaculae idem probant, maxime Indorum *dēvanāgarī*, cujus omnibus fere literis, paucis exceptis, fulcrum illud inest atque in medio positum *a* vocalem longam notat. Quaeritur jam, quid haec linea directa, quae tenacissime inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostram memoriam locum suum obtinuit, sibi velit? Nihil certe aliud significat nisi principalem illam vocis materiem, principium, elementum sermonis humani omnibus hominum sonis commune, rudem indigestamque molem expectantem artificis ingenium formans. Agitante autem spiritu divino hominibus insito ille incultus adhuc sonus humanus, illa materies mollis et quasi docilis, in certas formas, sonos quos dicunt articulatos, redigi coepta est viribus adhibitis gutturis, palati, linguae, dentium, labiorum, atque hac via naturali, non uno quidem ictu, sed paullatim, ut ex semine germinat stirps, rami, folia, ab exiguis profecta initiis lingua humana eo crevit, ut diversissimis linguae sonis omnia, quibus animus moveretur, et gaudia et dolores et subtilissima ingenii inventa homo cum homine communicare valeret.

Hac eadem via, secundum eandem legem simplicem etiam literae, quae sonos linguae humanae ante oculos proponerent atque vocem fluxam fugacemque in perpetuum defigerent, mirum in modum formatae sunt, et primum quidem paucae tantum, ut soni ipsi, sufficiebant atque in usu erant literarum notae secundum organa, quibus pronunciabantur, certa ratione distinctae, quae, quum sonis ipsis adhuc incertis, perturbatis, indispositis primo involuta esset et vocalis et consonans, eadem ratione et consonantem simul et vocalem obscuram atque incertam repraesentabant. Itaque factum est, ut, quum neque consonans litera sine vocali nec vocalis sine

consonante existeret, vocabulum a vocali incipere omnino non posset, nisi praemisso spiritu quidem leni, cujus rei exemplum praebent  $\aleph$  et  $\gamma$  Hebraeorum,  $\aleph$  Indorum, spiritus lenis Graecorum aliaeque linguae.

Hujus rei vestigia quum lingua ipsa tum literae, umbra et imago linguae accuratissime descripta, nobis conservarunt, ut Hebraeorum Scheva mobile, ut et linguae Sanscritae et scripturae cuneatae Persepolitanae quaevis consonans litera, quae non alia quapiam vocali aut signo jungatur, cum *a* brevi nunc quidem pronunciat; hunc vero *a* sonum antiquitus tam pure non esse pronunciatum jam inde probari potest, quod in aliis linguis cognatis potissimum  $\ddot{e}$  et  $\ddot{o}$ , nonnunquam etiam omnes fere vocales ei respondent velut sanscr. *saptamas* est *septimus*, *catvār-as* = *τέσσαρες*, *mamarda* = *momordi*. Immo vero etiam in una et eadem lingua unius vocabuli vocales summam prae se ferunt inconstantiam ac fluctuationem; in runicis enim titulis hae formae inveniuntur: *stan*, *stain* (pro *sten*, *ai* pro *e*, quae vocalis runis deest, positum, ut in lingua sanscrita, vet. Pers., Gothica, Francogallica cet.), *stin*, *ston* (lapis); *þansi*, *þinsi*, *þonsi*, *þusi* sive *þunsi* (hic); *abtir*, *ibtir*, *ubtir*, *aftar*, *ifþi*, *uftar*, *aiftir*, *iftr*, *uftr*, *oftir*, *ftir* cet. (*post*, angl. *after*, succ. *efter*).

Ex illo igitur obscuro vocalium elemento primus in lucem prodiit clarus *i* sonus, non *a*, ut plerisque visum est, quum is sonus (*a*) multo purior, explicatior, nobilior sit, quam *i*, longissimeque a consonantium natura recedat, ita ut vocalis, ut ita dicam, vocalissima ex prima illa sonorum confusione ac concretionem prima nasci non potuerit: *i* enim et *u* vocales in *j* et *v* transire constat; *a* vocalis vero nunquam in consonantem permutatur. Gravitatis autem ac ponderis ratione habita *i* vocalis omnium est levissima;\*) quae ipsa ejus natura antiquitatem testatur.

Aptissime igitur *i* vocalis, quae prima omnium vocalium ex obscuritate in claritatem enisa est, nuda linea directa est notata, qua eadem linea illum vocis indispositae sonum omnibus literis communem, spiritum principalem (fulcrum), significari vidimus. Recte vero *i* vocalis medium obtinet locum, quia ab hoc sono tamquam ex centro vel, ut ita dicam, foco, formatio sonorum articulorum initium cepit. Deinde in pronuncianda *i* vocali labia minus aperiuntur quam ubi *a* vocalis, sed magis quam ubi *u* auditur atque ita etiam in pronunciatione *i* medio loco gaudet: servant enim vocales hunc ordinem: *a*, *e* **i**, *o*, *u*.<sup>oo</sup>)

\*) — „Was das Gravitätsverhältniss des *u* zu *i* anbelangt, so versteht es sich ziemlich von selbst, dass ersteres schwerer wiege als letzteres“ — vid. *Vergleichende Grammatik von Franz Bopp*. Berlin. 1856. I. §. 8. — „*i*, als leichtester der Grundvocale, konnte keine andere Störung als völlige Unterdrückung erfahren.“ id. ibid. §. 71. — „Man möchte *i* für den leichtesten, *u* für den schwersten unter den drei kurzen vocalen halten, dem *a* zwischen beiden die mittelstelle einräumen“ vid. *Deutsche Grammatik von Jac. Grimm*. p. I. ed. 3. p. 532.

